

CELEBERRIMI EYSTETTENSIS

horti, Icones arborum & fruticum Vernalium continens.

Cytifus Columellæ Camerarii. Radices, sese infra terram sparsim demittentes, crebras virgas, lentas, hirsutas, pedales firmant, obseptas foliis hirsutis subincanis, quinquepartitâ serie iterata per intervalla cauli adfixis, Meliloti coronatæ instar: florum situs in cacuminibus alarum corymbose efformat, pari ritu ut Meliloti dictæ flores collocantur., quorum formam colore etiam albicante, & superiorum foliorum parte non nihil purpurascen- te, referunt: succrescunt siliquæ subrotundæ, seu teretes, è fusco rufescentes, tenuiter mucrona- tæ, in quibus semina Viciæ minimæ, rotunda, exigua latent.

Hort. Med. Cam. 53.

| Germ. Rauber Baumflee/von Columella angedeutet.

Cytifus, VII. Clusii similis, pedalem ultra altitudinem attollitur, virgis rectis, lignosis, frequentibus, subflavescentibus villis obsitis, quas folia ab imo usq; ad summum crebra conscendunt, terna singulis pediculis inhærentia, Medic. sylvestris luteæ foliis majora, inferius tenuiter villosa, superius virescentia, ad quorum exortum se minora alia interspargunt: flores simul congesti aliquot in summitatibus alarum pallidè flavescent, Loto pratensi minores: semina compressa, subrotunda, exigua, fulvescentia, Genistam æmulantur, siliquis, subfusca ac aliquantum incanâ hirsutie pubescentibus, recondita: radix dura, lignosa, se summâ tellure diffundit.

Cum sept. Clus. alt. specie multum consentire videtur, fol. 97.

Germ. Baumflee/der mit 7. Clusii sich vergleichen.

Genista Scoparia vulgi Lobel. Genista quadrato junco Cœsalp. Ge- nista angulosa C. Bauhin. Ad humanam proceritatem usq; fruticat ramulis, à radicibus lignosis & prolixè fibratis, & obliquè dispersis, viridibus, junceis, frequentibus, angulosis, obsequiosis, seu, ut Dodon. habet, necti flectiq; facilibus, in quibus folia parva, initiò Trifoliorum ritu tripar- titim divisa, postea, plantâ adultiore factâ, simplicia, obscure viridia: flores sub ramorum fasti- giis oriuntur lutei, Pisorum floribus conformes, quibus vaginulæ latæ, planæ, compressæ, & per maturitatem nigricantes succrescunt, semina subrotunda, fulvescentia, lentibus minora, vo- mitibus ciendis idonea, complectentes.

Dodon. 749.

Cœsalpin. lib. 3. cap. 35. fol. 115.

Lobel. Obs. 531. Adv. 407.

Lugdunens. 167.

Cam. Epit. Matth. 950.

Matth. C. Bauh. 853.

Germ. Gelbe Pfrimen/oder Rhumschrotten.

Fuchf. 79.

Tabern. 802. lib. secundo.

Matth. Cam. Germ. 440.

Durant. 411.

Polemonium Monspeliense. Trifolium fruticans Tabernæmont.

Radices fibrarum, contumaciter terræ inhærentium ac lignescantium, flexu variè serpendo di- sparguntur, virgæ inde plurimæ per ætatem etiam bicubitalem longitudinem attingunt, lignosæ, tenaces, saturatè virides, cre- bris foliis crassis vestitæ, Rutæ latifoliæ folia singulatim affectantibus, Trifoliorum situ cohærentibus: flores in summis ramulis oriuntur lutei, Gelsimini lutei æmuli, quibus succedunt bacca nigricantes, Ligustro minores, ossicula seminum complectentes.

Dodon. 561.

Lobel. Ad. 390.

Lugdunens. fol. 1187.

Germ. Baumichter Wisenflee.

Tabern. 228. fol. lib. secundo.